

sus substantiæ Dei: « Videamus, inquit, quid Philippus quærat, non sapientiam Patris? Num benignitatem? Minime, sed quid esset Deus, ipsam videlicet substantiam. » Et tamen non dicit Chrysostomum postulasse rem impossibilem, sed potius talem visionem adimplendam supponit. Denique, videri potest homilia xxxiv, in I ad Corinth. et homilia decima in II ad Corinth. præsertim in fine.

XV. Ad rationem autem Vazquez dicimus esse omnino falsum Sanctum Chrysostomum et antiquos patres non distinxisse inter notitiam quiddamque intuitivam, et comprehensivam, nam homilia tertia contra Anomæos explicans illud Pauli: *Qui lucem habitat inaccessibilem*, sic inquit: « Quapropter nec locum habitat incomprehensibilem, sed inaccessibilem, quod longe plus est, quam incomprehensibile, quod enim inquisitum, investigatumque comprehendere non potest id esse incomprehensibile dicimus, quod autem ne investigandi quidem operam patitur, et ad quod nemo propius accedere potest, id inaccessibile est. » Et infra: « Sed licet Angelis sit accessibilis Deus quid hoc ad te hominem qui examinas, et contendis, et comprehensibilem esse naturæ humanæ divinam illam substantiam indicas? » Ecce quomodo Chrysostomus distinguit inter hoc, quod est Deum esse inaccessibilem et incomprehensibilem. Est autem Deus inaccessibilis a nobis, quantum ad notitiam intuitivam, nam quantum ad notitiam imperfectam, et per effectus, et connotationem ad creaturas, quam pro hac vita habemus de Deo non diceret Paulus Deum esse inaccessibilem, cum potius Rom. I dicat: *Quod invisibilia Dei per ea quæ factasunt intellecta conspiciuntur*. Dicitur ergo lux illa inaccessibilis, quia intuitive videri non potest a

nobis, et tamen Chrysostomus non solum hoc modo inaccessibilem, sed etiam aliquo modo perfectiori dicit esse incomprehensibilem: ergo distinguit inter notitiam intuitivam Dei, et comprehensivam, dum dicit non solum esse inaccessibilem, a quibus tamen non comprehenditur, et multo minus a nobis. Quod autem ibidem dicit: « Etiam Angelis Deum esse invisibilem, nec ipsam meram lucem, et substantiam vidisse, sed quæ videbant condescensus erat, » non negat Angelos vidisse Deum absolute, sed solum secundum condescensum Dei, id est, limitate», prout Deus se illis vult manifestare, non autem quantum visibilis est. Videatur etiam homilia decima quarta in Joan. ubi loquens de cognitione Filii qui est in sinu Patris, inquit: « Quod in sinu Patris esse majus quid est, quam videre, qui enim tantum videt, non certam habet rei cognitionem (id est, non de omnibus, quæ illius sunt certificatur) qui vero in sinu immutatur omnia ei perspicua sunt, et certa. »

XVI. Ad objectionem ex p. Suarez respondetur Angelos in natura assumpta Verbi non solum habuisse visionem, sed etiam comprehensionem, non quidem ipsius Dei, sed ipsius naturæ assumptæ, si quidem humanitatem comprehendebant. Loquitur autem ibi Chrysostomus de visione Dei non in se, sed in natura assumpta, quam antea Angeli non videbant. Et eodem modo solvitur alia objectio ex Chrysostomo quia in illa homilia decima quinta in Joan. inquit: « Quod non invenimus Angelos narrare nobis aliquid de substantia Dei, sed solum dicentes: Gloria in excelsis, » sed narratio de substantia Dei non exigit comprehensionem, sed solum visionem, ergo si narrationem negat Chrysostomus, ideo est, quia etiam

## ARTICULUS II.

*An contineatur Deus clare visus intra objectum nostri intellectus? Expenditur prima ratio D. Thomæ in primo articulo.*

EXPENDITUR PRIMA RATIO D. THOMÆ IN PRIMO ARTICULO.

I. Probat D. Thomas in articulo primo beatitudinem nostram non consistere in alio, quam in Deo, quia in illo est ultima perfectio creaturæ rationalis, quod est ei principium essendi, quia in tantum unumquodque perfectum est, in quantum ad suum principium attingit. Ex quo aperte consequitur, quod si beatitudo rationalis creaturæ solum potest consistere in fruitione Dei in se ipso, oportet, quod clara ejus visio possibilis sit, alioquin non posset eo frui in se ipso. Si autem esset impossibilis talis beatitudo, consequenter non posset rationalis creatura capax esse felicitatis, et beatitudinis.

II. In hac ratione D. Thomæ duæ illæ propositiones sunt satis notæ. Prima, quod unumquodque perficitur per reductionem ad suum principium. Quæ propositio intelligitur de principio alicujus rei per modum perfectionis, sive sit efficiens, sive formale, sive finale, non autem de principio potenciali; seu materiali. Et sic manifestum est, quod quando aliquid est propinquius suo principio perficienti, tanto in se ipso redditur perfectius, si quidem ab illo principio perfectionem participat. Et consequenter quanto principium est altius, et universalius in perfectione, tanto propinquius, et conjunctio ad ipsum reddit rem aliquam perfectiorem.

III. Secunda vero propositio D. Thomæ quod solum Deus est principium creaturæ rationalis potest intelligi, vel de principio finali, vel de effec-

negat visionem. Respondetur enim quod in primis non est bona consequentia, non videre Angelos substantiam Dei, quia non enarrant illam nobis, non enim non sumus capaces illius enarrationis, sunt enim ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, ut Paulus inquit. Vel secundo negat Chrysostomus enarrationem comprehensivam de substantia Dei, licet enim ad narrandum nobis de Deo absolute non requiratur comprehensio Dei, ad narrandum tamen de substantia Dei plene, et eo modo, quo Deus se cognoscit, sicut ibi loquitur Chrysostomus contra illos hæreticos, comprehensio requiritur.

XVII. Hæc dicta sint in defensionem magni Chrysostomi, cui immerito Vazquez in re gravissima injurius est, dicens non sincere locutum de visione Dei in se, in quo hæreticis ansa præbetur insultandis catholicis, quorum doctrina a sanctis patribus lucem habet, præsertim cum Chrysostomum Apostolica Sedes per os beatæ memoriæ Innocentii papæ I, totius Ecclesiæ doctorem proposuerit, ac laudaverit, cum epistola xxx, quæ habetur tom. I. Conciliorum; sic de Chrysostomo loquitur: « Affligor de eis, qui sapientissima spirituali, et divina doctrina, et institutione ejus orbat, fame verbi Dei conficiuntur. Non enim Ecclesia tantum Constantinopolitana mellitiæ illius linguæ jacturam fecit, sed orbis sub sole totus ad orbitatem redactus est viro tam divino amisso. » Ecce cujus viri doctrinam Vazquez noluit ab errore defendere, nec manifestam ejus expositionem admittere.



tivo. Si de finali, ita quod sensus sit quod solus Deus est finis, seu principium finale creaturæ rationalis, laboratur in petitione principii, nam hoc est, quod inquiritur, an Deus in seipso sit finis, seu beatitudo creaturæ rationalis? Si autem intelligitur de principio effectivo, ita quod sensus sit, quod perfectio creaturæ rationalis consistit in hoc, quod reducatur ad suum principium effectivum, non apparet, quæ consequentia sit, quod consistat beatitudo creaturæ rationalis in conjunctione ad suum principium effectivum, sicut aliæ res non rationales non habent suum finem in hoc quod jungantur suo generanti, seu principio effectivo, sicut lapis non perficitur per hoc, quod jungatur alteri lapidi generanti, aut ignis igni, vel herba herbæ, quin potius quamdiu sunt conjuncta suo generanti, sunt in statu imperfecto, et oportet a generante separari, ut crescant, et augmententur, et perficiantur. Sed respondetur quod creaturam rationalem procedere a solo Deo intelligitur in ratione efficientis, non quomodocumque sed efficientis simpliciter, id est, dando totum esse, et conservando illud, et sui participationem omnem perfectionem tribuendo, eo quod creatura rationalis super omnes alias creaturas est universalis in operando, cum habeat cognitionem universalissimam, et consequenter a nullo principio potest adæquate perfici, et effici, nisi a principio universalissimo in agendo, et participando perfectionem, quod est Deus, et sic optime deducitur, quod creatura rationalis, non habet aliud principium adæquate, et simpliciter perficiens et efficiens nisi Deum. Unde cessant objectiones factæ. Nam D. Thomas non loquitur de solo principio finali, licet hoc etiam includatur in eo, quod est principium effectivum cre-

aturæ rationalis, sed loquitur de principio efficiente ipsam simpliciter, et perficiente per sui participationem, ita quod sit principium dans totum esse, et perficiens totam universalitatem operationis intellectualis, cujus sola creatura rationalis est capax. Instantiæ vero adductæ de causis efficientibus alias res, ex quarum conjunctione non perficiuntur ipsæ tamquam ex fine, nihil obstant, quia tales causæ efficientes solum se habent per modum efficientis particularis, non autem per modum principii simpliciter perficientis, ita quod ex ejus participatione derivetur tota perfectio rei productæ, sed solum per applicationem materiæ ad formam, vel per educationem a subjecto dicuntur rem aliquam producere, et generare. Unde non est necesse, ut per conjunctionem ad tale principium res perficiatur, quin potius etiam amoto, vel absente suo producente res ipsa permanet, et magis perficitur, seu augetur.

IV. Cæterum etiam his duabus propositionibus admissis restat tertium, quod difficilius est in hac parte, an ex hoc sequatur, quod intellectus creatus sit capax videndi Deum in se ipso, et jungendi se illi per visionem claram. Diceret enim aliquis, quod licet unumquodque perficiatur per conjunctionem ad suum principium, et quod principium creaturæ rationalis est Deus etiam modo explicato tamen intelligendum est perfici unumquodque per conjunctionem ad suum principium juxta capacitatem suam: Nondum autem probatur intellectum esse capacem videndi Deum in se ipso, sed solum per effectus. Quare nondum probatur, quod perfectio creaturæ rationalis consistat in visione clara Dei, quia diceret aliquis, quod hujus perfectionis non est capax creatura rationalis, quia

Deus clare visus non continetur intra latitudinem objecti ejus.

V. Occasione hujus solet ventilari, an Deus clare visus contineatur intra latitudinem objecti adæquati intellectus creati, licet non intra latitudinem specificativi connaturalis, et proportionati? De qua difficultate egimus in libra de anima quæst. x, art. iii, et ideo in præsentibus non est a nobis latius expendenda. Breviter tamen insinuabimus hic resolutionem nostram, ut ex illa possit ratio Div. Thomæ efficax ostendi.

VI. Igitur difficultas præsens fere consistit in componendis tribus propositionibus, quæ videntur per se notæ, et vix apparet quomodo possimus effugere, ne aliquam negemus. Prima propositio est, quod nulla potentia potest elevari ad attingendum aliquid ultra latitudinem sui objecti specificativi, neque ad hoc habet potentiam obedientialem, sicut visus non potest elevari ad audiendum. Cujus ratio est, quia si elevaretur ultra suum specificativum, transiret limites suæ essentiae, si quidem specifica constitutio, et essentialis ipsius potentiae totaliter, et adæquate sumitur ex suo objecto specificativo. Ergo idem est transire limites sui formalis specificativi, atque suæ essentiae specificatæ. Secunda propositio est, quod omnis intellectus creatus habet suam specificam distinctionem seorsum ab alio intellectu, sicut intellectus animæ distinguitur specie ab intellectu Angeli, et intellectus unius Angeli ab alio Angelo, eo quod istæ naturæ intellectuales specie distinguuntur inter se in genere intellectualitatis. Tertia propositio est, quod Deus clare visus, et immediate in se non respicitur formali, et positivo respectu ab intellectu creato, neque secundum rationem genericam intellectualitatis talis intellectus,

neque secundum specificam, et differentialem. Ratio est, quia Deus clare visus est objectum supernaturale, ad quod solum potest intellectus esse in potentia obedientiali. Neque attingitur sub aliqua formali ratione creata, quia non ad instar alicujus effectus creati, sed in se ipso immediate, ut excedens omnem rationem creatam. Quælibet autem ratio specifica intellectus creati respicit suum objectum intelligibile sub ratione formali creata, et determinata, v. g. homo sub ratione quidditatis sensibilis, Angelus sub ratione suæ essentiae spiritualis. Deus autem quando clare videtur sub nulla istarum rationum videri potest, non ergo sub ratione specificativa, cujuscumque intellectus Deus in se ipso respicitur formali, et positivo respectu. Secundum rationem autem genericam multo minus respicitur Deus formaliter, et positive, quia ratio generica magis potentialis, et imperfecta est, quam specifica. Si ergo nulla potentia potest elevari ultra suum objectum specificum, et Deus clare visus non respicitur positive, ut contentus intra latitudinem specificationis cujuscumque intellectus, quomodo poterit ad illum elevari, neque potentiam obedientialem ad id habere? Cum ad habendum potentiam obedientialem supponatur contentia intra specificam latitudinem objecti, si quidem si sit extra illud, non habet capacitatem, ut ad illud elevetur, sicut patet in visu, qui caret capacitatem ad audiendum, eo quod sonus non continetur intra specificativum visus, ita quod positive, et formaliter ab illo respiciatur.

VII. Communis solutio ad hanc difficultatem esse solet, duplex esse objectum nostri intellectus, aliud proportionatum, et connaturale, sicut quidditas sensibilis respectu nostri, aliud extensivum, licet non



proportionatum, non tamen extra latitudinem totius potentiae, sed pertinens ad objectum adaequatum ejus, sicut lux solis est improporcionata respectu oculi noctuae, non tamen est extra latitudinem potentiae ejus visivae, quia est ejusdem speciei cum nostra, et ita per additionem, seu roborationem potentiae potest pervenire ad hoc, ut videat solem sicut nos. Quae solutio est expressa D. Thomae III contra gent. c. LIV, in solutione primae rationis, ubi inquit: « Divinam substantiam non sic esse extra facultatem intellectus creati, quasi aliquid omnino extraneum ab ipso, sicut est sonus a visu, vel substantia materialis a sensu, nam ipsa divina substantia est primum intelligibile, et totius intellectualis cognitionis principium, sed extra facultatem intellectus creati, sicut excedens virtutem ejus, sicut excellentia sensibilia sunt extra facultatem sensum. »

VIII. Cæterum non videtur difficultas proposita ista solutione evacuari. Quia si solum excedit visio divinam facultatem nostri intellectus eo modo, quo sensibile excellens sensum infirmum, sequitur, quod Deus clare visus respiciatur a nostro intellectu sub eadem ratione formali, sub qua proprium, et specificativum objectum, sicut lux solis respicitur ab oculo noctuae sub eadem ratione formali qua lux lunae; vel alia imperfecta, quam ipsa potest videre. Cum ergo specifica ratio nostri intellectus distinguatur ab intellectu Angeli, respiciaturque objectum intelligibile sub ratione formali quidditatis sensibilis, consequenter Deus clare visus continebitur sub ista ratione formali, et solum se habebit, ut excedens intra istam lineam. Hoc autem est falsum, quia Deus clare visus sine ullo ordine, et connotatione ad quidditatem sensibilem, aut ad aliam subs-

tantiam creatam videtur Ergo intellectus in videndo Deum elevatur ultra rationem formalem suae propriae specificationis. Si autem sub alia ratione formali attingitur ab intellectu, et supra omnem specificationem quidditatis sensibilis, vel spiritualis creatae, currit difficultas posita, quomodo possit elevari ultra proprium specificativum intellectus, cum tamen visus non possit elevari ad audiendum sonum, aut dicendum est objectum proportionatum, et extensivum intellectus non convenire in una formali ratione, sed duas importare, quod est contra unitatem potentiae, quae essentialiter petit unam rationem formalem, non plures. Nec sufficit recurrere ad unitatem objecti terminativi, quia, scilicet objectum terminativum intellectus est ens sub tota latitudine entis, in qua continetur Deus clare visus. Unde per hoc, quod elevatur ad videndum Deum clare in se ipso, non elevatur ad aliquid extra latitudinem, sui objecti adaequati terminativi. Quam solutionem approbant p. Suarez lib. II, de attributis negativis, c. VII, n. II; Vazquez hic disp. XXXVII, c. VI; Arrubal, disp. XIII, cap. V. Nam contra est, quia licet intellectus respiciatur ens in tota sua latitudine, tamquam objectum terminativum, tamen diversi intellectus speciei, ut Angeli, et hominis sub diversa ratione motiva illum attingunt. Et haec ratio motiva specifica est, quae exceditur, quando Deus clare videtur, haec autem ratio motiva est, quae specificat intellectum, si quidem distinguit unum intellectum specie ab alio. Ergo exceditur specificativum proprium intellectus per hoc, quod attingatur Deus clare visus in se, non obstante, quod contineatur intra latitudinem entis; sicut intellectus noster (cujus ratio motiva specificativa est quidditas sensibilis, et per hoc distinguitur specie

ab intellectu Angeli) si attingit Deum in se per claram visionem non attingit illum sub ratione quidditatis sensibilis, neque cum respectu, aut connotatione ad illam, sed extra omnem connotationem, et ordinem ad omnem rem creatam. Ergo manet integra difficultas, quare possit elevari intellectus ultra propriam rationem formalem specificativam, si quidem elevatur ultra rationem motivam secundum quam specie distinguitur ab alio intellectu, et non possit visus elevari ultra suam rationem specificativam ad attingendum sonum, non obstante, quod etiam sonus continetur intra latitudinem entis sensibilis, licet non intra specificationem visibilis.

IX. Propter hoc varie divisi sunt auctores in expedienda ista difficultate et assignando modo, quo Deus clare visus continetur intra latitudinem objecti intellectus creati, ita ut habeat potentiam obedientialem, et elevatur ad illud, et tamen non contineatur intra latitudinem objecti proportionati, neque intra latitudinem rationis formalis specificantis, et distinguentis speciem unius intellectus ab alio. Quorum sententias retulimus citato loco de anima. Breviter autem tradendo nostram resolutionem poterunt explicari, aut impugnari, quia ex omnibus illis aliquo modo desumitur.

X. Dicimus ergo, hoc esse peculiare in intellectu propter ejus immaterialitatem, quod major fit capacitas ejus passiva, quam virtus activa, quae in unoquoque intellectu juxta diversum modum immaterialitatis distinguitur specie ab alio intellectu, non enim ex parte capacitatis passivae intellectus distinguitur, quia haec non fundatur in ipsa specifica ratione actualitatis et virtutis, sed in ipsa generica ratione immaterialitatis, ratione cu-

jus habet intellectus capacitatem, et potentiam passivam respectu omnis entis intelligibilis sub quocumque modo intelligibilitatis finito, licet connaturaliter solum respiciat in unoquoque intellectu objectum illi proportionatum, et proprium juxta modum suae actualitatis, et virtutis. Non enim est inconveniens quod aliqua potentia passiva habeat capacitatem ad plures formas, seu actus, ad quos non habet connaturalitatem propter respectum, quem habet ad diversa agentia, nam respectu agentis sibi proportionati, et connaturalis, connaturaliter etiam inclinatur, et secundum subjectiorem ad aliquod agens superius extendi potest ad alias formas sibi connaturales, nec proportionatas. Quae doctrina praee oculis habenda est, et eadem tradidit D. Thomas, opusc. II, cap. CIII et CIV, ad explicandam hanc ipsam difficultatem de continentia divinae essentiae clare visae intra latitudinem objecti intellectus. Cujus verba sunt: « Est aliquid in potentia dupliciter: uno modo naturaliter respectu eorum, quae per agens naturale possunt reduci in actum: alio modo respectu eorum, quae reduci non possunt in actu per agens naturale, sed per aliquod aliud agens. Quod enim ex puero fiat vir est in potentia naturali, vel quod ex semine fiat animal, sed quod ex ligno fiat scamnum, vel ex caeco fiat videns non est in potentia naturali. Sic autem, et circa nostrum intellectum accidit. Est enim intellectus noster in potentia naturali respectu quorundam intelligibilium quae scilicet reduci possunt in actu per intellectum agentem, qui est principium innatum nobis, ut per ipsum efficiamur intelligentes in actu. Est autem impossibile nos ultimum finem consequi per hoc, quod intellectus noster sic reducat in